Vxor si diverterit à viro legatum amittit. l. vxori ff. de aur. & *arg. leg.*

DIsputat in tenebris conjux, erit ergo Sophista:
Arte potest baculum sumere, digna gradu est.
Supplicat, ut tandem admittatur in arte magistra,
Tempus & ingenium iactitat illa suum.
Quæris Arithmeticam? se multiplicare docebit.
Si Logicam cupias? omne sophisma tenet.
Nosse poema iuvat? diros facit uxor Iambos.
Astra petis? Tropicum novit utrumque satis.
Tota figurata est, nisi quod Reticentia non sit.
Musica vis? vox est tota; quid ulterius?
At caput impatiens iræ, non visitat (inquit)
Hoc satis est, nostram nolit adire domum.
A me divertit vaga, se convertit ad illum
Ipse ego quæ quondam, non erit alter ego.
Tempore quod careat, vitiis quod abundet ineptis,
Parcius hæc memoro, sed memoranda tamen.

30.q.5.c. fœmina & seq.
l. omnes. § fœminas. Cod. de his qui ve. æt. imp.
l. 2. §. cum enim mulieres. Cod. de indict. vid.
l. si decipiendi. ff. ad velleia.
Alleric. in l. filia in orbitate. Cod. de inoffi. test.
33. q. 5. c. cum caput.
33. q. 2. c. placuit.
32. q. 5. c. horrendus.
33. q. 5. c. fin.
Gloß. l. Item legat. §. pen. ff. de legat. 3.

ERGO.

Quod teneræ volui, male perdita perdidit vxor,
Versus & est animus, versus vt eius amor.

Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius quam exasperandæ. l. Interpretatione *ff. de pœnis.*

LVsimus in primis, paulò graviora canamus,
Res nihili mulier causa, quòd ante nihil.
Leniter humanum est rigidas exponere leges,
Candidus interpres grande levabit onus.
Non quoties peccant homines, tua fulmina mittas.
Res est omnigeni plena fauoris amor.
Ense recidendum tamen immedicabile vulnus,
Scala decet fures, quos schola nulla docet.
Omnibus esto modus, medium tenuisse beatum,
Sed si vis nimium, candidus esto nimis.
Sanctius est sonti ter mille remittere noxas
Insontem immeritis quam cruciare modis.
Restringas odium, jus summa iniuria summum est.
Omne sed ad facinus gratia calcar habet,
Præmia dilates, nihil hic nisi munera desunt.
Mitior est melior glossa, probata magis.

33.q.5.c. mulierem.
l. placuit. C. de iudic.
l. respiciẽd. §. 1. ff. de pœn.
l. Imperialis. §. 1. C. de nup.
dist. 50. c. ponderet. in fin.
c. cum ab hom. ext. de iud.
§. si quis quinque solidos. de pace tenenda. li. 2. feud.
l. hodie. ff. de pœnis.
26. q. vlt. c. alligant. in fin.
l. absentem. §. sanctius. ff. de pœnis.
C. odia. de reg. iur. in 6.
l. fin. ff. de constit. Princ.

Ergo sit interpres diræ sententia legis
Iusta, sed ut maior gratia, mulcta minor.